

XI. 1 = Q.

(cat. 4, 22-33<sup>b</sup>)



ODARUM  
in  
THEATRI ANATOMICI

auspiciis  
*Magnifici Academiae Lipsiensis Senatus*  
recens exstructi

SOLENNI DEDICATIONE

d. 10. Septembr. A. O. R.

MDCCIV.

inter tympanorum fidiumque  
streptus atque concertus  
*publicè modulatarum*

BIGA.

# Ode Orationi præmissa.

Prolusio.

*Psalm. CXXXIX, 13.*

Confitebor Tibi, quod miris & stupendis modis formatus  
sim, quodque eximia sint opera Tua, quæ optime no-  
vit anima mea.

## Ode.

**S**alve, Theatrum, splendida funerum  
Et Mortis ades regia lurida,  
Salvete pallentes Sorores,  
Quæ per inane volatis, Umbra.

Vos quæso tectis omnibus exules,  
Quæis nulla tellus hospita, sed tremuit,  
Si januam pulsatis, ades  
Huc patrias properate vestras.

Hic alma fessis Manibus est quies,  
Hoc vela portu contrabe, Portitor,  
Atrata, paulisper recumbens  
Littoribus, Venerande, nostris.

Mirare templum Mortis, & atria  
Mox plena palmis, postea sororia  
Quas triga Parcarum refiget  
Cum spoliis reliquisque Vita.

Jam jam Tyrannus multo ferocius  
Insultat agris, magnificentiam  
Hanc intuens Aula: Quis, insit,  
Talia si referat tropæa,

*Pugnare*

*Pugnam reposcat non animosior,  
Stragemque victam conduplicaverit?  
Jam contremiscat, quisquis ager,  
Mors truculentior instat Orbi.*

*Morbona, sed cur cum grege morbido  
Isthaec relinquis pallida limina?  
Quo Febris & Gangræna tendis?  
Quo fugis Hæctica nunc anhelans?*

*An furta quod nunc hæc domus explicet,  
Vestrasque fraudes Argo oculatior,  
Queis hæctenus de gente nostra  
Mille virum cecidere frustra.*

*Pestes scelestæ, ceditæ, ceditæ,  
Et quisquis atris lucifugum Nefas  
Vult Noctis auleis sepultum,  
Furta recondita Lux revelat.*

## Ode Orationem subsequens.

Prolusio.

*Psalm. CXV, 18. 19.*

Non mortui laudabunt Te, Domine, neque omnes qui  
descendunt in infernum; sed nos, qui vivimus, benedi-  
cimus Domino ex hoc, nunc & usque in seculum.  
Halleluja.

## Ode.

*S*umme terrarum Moderator, Ædis  
Hujus erectæ Tuæ prima laus est,  
Hinc Tibi primas resonant Camæne  
Carmine laudes.

*Tæ*

Tu salutarem Patribus dedisti  
Spiritus, Mortis struerent ut Aulam  
Hancce, quo Morbi pateant latebrae, &  
Lerna malorum.

Ut dehinc nostris faveas Camænis,  
Protegas tectum Tibi jam sacratum,  
Utque opus nostrum manuum secundes,  
Poscimus omnes!

Sic Tuum nomen celebrent, Tuumque  
Semper hoc Circo venerentur omnes  
Numen, his tectis quoties tuentur  
Forte cadaver.

Post DEUM Vestram celebrare curam,  
Et manum largam, Proceres, jubemur,  
Gratias Vobis canit ore nostro  
Sanus & eger.

Faustitas omnes foveat, suisque  
Quemlibet Vestrum laribus beatum  
Reddat, elumbi gracilique Morbi  
Gente repulsa.

Rektor ad Te jam Medici Senatus,  
Vosque prestantes Socios Ithalia  
Vertit, & Vestra studiosa laudis  
Buccinat audax.

Testis est cura studiique Vestri,  
Quamdiu durat domus hac, Salutis  
Publica, primum lapidem, Patroni,  
Vos posuistis.

Jam Salus omnem lapidem movere  
Nititur, Vobis domuique Vestra  
Ut sit æternum bene, quod cuique  
Nosque precamur.

Hec Salus omnes studiis faventes  
Hactenus nostris, adeoque quotquot  
Hicce presentes animo fuistis,  
Protegat alis.

❁ ( 0 ) ❁

Yc6769



Sb.

Retr ✓ 9.1.01


N.C.

1077









34

170

ODARUM  
in  
THEATRI ANATOMICI

auspiciis  
*Magnifici Academiae Lipsiensis Senatus*

recens exstructi

SOLENNI DEDICATIONE

d. 10. Septembr. A. O. R.

M DCC IV.

inter tympanorum fidiumque  
strepitus atque concertus  
*publicè modularum*

BIG A.